

8.12.6

*Imppp. Gratianus Valentinianus et Theodosius AAA. ad Proculum.*

Praescriptio temporis iuri publico non debet obsistere, sed nec rescripta quidem. atque ideo diruenda sunt omnia, quae per diversas urbes vel in foro vel in quocumque publico loco contra ornatum et commodum ac decoram faciem civitatis extracta noscuntur.

*D. III id. Iun. Constantinopoli Merobaude II et Saturnino cons.* [a. 383]

8.12.7

*Idem AAA. Cynegio pp.*

Ad portus et aquae ductus et murorum instaurationem sive extractionem omnes certatim facta operarum collatione instare debent neque aliquis ab huiusmodi consortio dignitatis privilegiis excusari.

*D. XV k. Febr. Constantinopoli Ricomere et Clearcho cons.* [a. 384]

8.12.8

*Idem AAA. et Arcadius A. Cynegio pp.*

Omnes, quibus vel cura mandata fuerit operum publicorum vel pecunia ad extractionem solito more credita, usque ad annos quindecim ab opere perfecto cum suis heredibus teneantur obnoxii, ita ut, si quid vitii in aedificatione intra praestitutum tempus provenerit, de eorum patrimonio (exceptis tamen his casibus, qui sunt fortuiti) reformetur.

*D. III non. Febr. Constantinopoli Arcadio A. et Bautone cons.* [a. 385]

8.12.9

*Imppp. Theodosius Arcadius et Honorius AAA. Aureliano pu.*

Si quando concessa a nobis licentia fuerit extruendi, ia sublimis magnificentia tua sciat esse servandum, ut nulla domus inchoandae publicae fabricae gratia diruatur, nisi usque ad quinquaginta libras argenti pretii aestimatione taxabitur. I ¶ De aedificiis vero maioris pretii ad nostram scientiam referatur, ut, ubi amplior poscitur quantitas, imperialis extet auctoritas.

*D. III k. Mart. Constantinopoli Theodosio A. III et Abundantio cons.* [a. 393]

8.12.10

*Idem, AAA.. Rufino pp.*

Si qui iudices perfecto publicis pecuniis operi suum nomen teneantur obnoxii.

*D. III non. Iul. Constantinopoli Arcadio III et Honorio II AA. cons.* [a. 394]